



# THEOLOGIA ACROAMATICA.

## CAPUT I.

*De fine theologiae Acroamaticae.*

### PRÆCEPTA.



*Theologia acroamatica est prudentia spiritualis de officio auditoris ecclesiae.*

*Estq; generalis, vel specialis.*

*Acroamatica generalis agit de officio auditoris in genere, tradendo finem, subiectum & media.*

*Finis acroamaticæ est internus, vel externus.*

*Finis internus est tradere modum adificandi regnum Christi per officium auditorum ecclesiae.*

*Finis externus est gloria Dei & adificatio regni Christi, adeoq; destructio regni Satanae.*

### REGVLÆ.

I. Theologia acroamatica, cū tractet de officio auditoris in ecclesia, æque est necessaria atq; theologa prophetica.

Acroamaticum Græcis dicitur, quod ad auditionem pertinet, siue quod in auditione consistit. q. d. Auditorius, Auscultatorius, vt *διδασκαλίας ἀκροαματικῆς*. Theologia itaq; acroamatica est, quæ tractat officium auditoris theologi sicut prophetica præcipit de officio auditoris prophetae. Vnde patet vtramq; istam theologiae partem æque necessariam esse. Cum enim doctor & auditor ecclesiae sint correlatiua, quomodo in politica magistratus & subditus, in schola præceptor & discipulus: necesse est, vtriusq; officium certis cancellis & limitibus circumscribi.

II. Duplex finis debet esse propositus auditori ecclesiae.

*Primus est, vt cognoscat præcepta de suo officio, prout illa hic exhibentur. Alter est vt illa præcepta ad praxin transferat, procurando ea, quæ pertinent*

*Acroamati-  
ca theologia  
necessitas.*

*Finis quis de-  
beat esse pro-  
positus au-  
ditori eccle-  
siae.*